

3. *Ex absurditate scepticismi*: Veracitas conscientiae directae actualis aut eget probatione aut non. Si probatione indiget, nunquam de ea constabit, si quidem in omni probatione supponitur; deo enim conscius esse existentiae meae, cognitionis actualis, praemissarum, legum cogitandi, veritatis probandae etc., ac proinde nulla unquam posset esse cognitio certa. Si autem veracitas conscientiae probatione non indiget, debet esse ex se evidens, unde nullo modo in dubium vocanda est. (Et certe tam evidens est, ut nemo possit eam in dubium vocare, quin eo ipso eam adstruat; qui enim dubitat, eo ipso affirmat, sibi conscius esse se dubitare.<sup>1)</sup>) Ergo veracitas conscientiae certissima est. (Coincident, ut patet, cum facto primo i. e. cum certitudine de existentia nostra, quae in omni cognitione supponitur simulque implicite cognoscitur et affirmatur (cf. thes. praec.)

*Obi.*: 1. Conscientia directa fallit, quia refert actus vel non existentes vel non eo modo, quo refert, existentes; refert enim a) nonnunquam in somnio nos vigilare, b) in vigilia nos nonnunquam somniari, c) amentibus, se esse reges etc., d) hypnoticis, se esse, quidquid hypnotizator voluerit, e) amputatis, se sentire dolorem in crure amputato etc.

*Dist.*: Conscientia refert *actus* non existentes vel non eo modo, quo refert, existentes — nego; refert *actus*, quorum *objecum* vel non existit vel non eo modo existit, quo apparet, contradist.: et hoc pertinet ad conscientiam directam — nego; est vel defectus *actus* directi vel iudicij conscientiae *reflexae* — conc.

Vel etiam sic distingue: conscientia refert *talem* imaginationem vel eiusmodi iudicia adesse — conc; et hoc verissimum est; refert ea vera esse — nego suppositum; hoc enim non est *objecum* conscientiae.

2. Atqui fallit etiam quoad suum *objecum*; nam testatur nos eosdem esse, qui fuiimus in iuventute, licet nunc alii simus.

*Dist.*: Ipsa iudicat de hac identitate — nego; praebet fundamentum huius cognitionis — subdist.: et haec cognitio falsa est, si identitas substantialis attenditur — nego; si accidentalis affirmaretur, quam tamen nemo affirmat — conc.

3. Atqui conscientia errores et falsa refert; dist.: *actus* non existentes tanquam existentes — nego; *actus*, quorum *objecum* est falsum — conc; sed nego suppositum.

4. Atqui saltem non omnes *actus* refert et multos refert confuse; dist.: I. partem: nego suppositum; non est conscientiae, omnes *actus* referre;

II. partem: *actus* distinctos confuse refert — nego; confusos confuse refert — conc.

5. Atqui distinctos confuse refert; nam *actus* intellectus et phantasiae certe sunt distincti et tamen a plurimis confunduntur; dist.: conscientia

<sup>1)</sup> Cfr. S. Augustin. de civit. Dei, XI 26; de Trinit. XV, c. 12, n. 21 contra Academ. III, 26; Soliloq. II, 1.

exhibit actum intellectus tanquam phantasiae — nego; non distinguit inter actum intellectus et phantasiae, subd.: expresse per iudicium — conc.; sed nego suppositum; nam hoc pertinet ad conscientiam reflexam; non praebet saltem fundamentum distinctionis — nego.

Unde qui audit testimonium conscientiae illudque reflexe investigat, certo distinguere potest inter illos actus. Difficultas potissimum in eo est, quod cum actibus intellectus propter naturam nostrae cognitionis semper actus phantasiae coniunguntur, quos eadem anima per conscientiam directam sensitivam percipit; si igitur mens non satis attendit, facile illi actus confunduntur, licet recte per conscientiam vel intellectualem vel sensitivam referantur. Quod nisi esset, nulla posset esse distinctio inter intellectum et phantasiam neque certa probatio spiritualitatis animae humanae.

## II. Iudicia immediata seu subiectiva conscientiae reflexae necessario sunt vera.

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Conscientia reflexa ea vocatur, qua mens reddit in actus, quos conscientia directa exhibuit. Conscientia reflexa vero non alia est facultas atque ipse intellectus, in quantum in suis actus reflectit. Iam vero illa reflexio potest esse duplex: *ontologica* et *psychologica*; est *ontologica*, si mens reflectit in obiectum cognitionis vel appetitus; *psychologica*, si reflectit in actum ipsum cognoscendi vel appetendi, in quantum potentiam vel animam hic et nunc afficit. In thesi solummodo haec reflexio *psychologica* consideratur, cuius *objecum* est conscientia directa actualis.

2<sup>o</sup> Iudicia vero, quae conscientia reflexa rediendo format, possunt esse subiectiva et obiectiva: *subiectiva* nil exprimunt, nisi quod conscientia directa actualis refert, i. e. actum cognoscendi vel appetendi sive obiectum actu expressum, sicut *hic et nunc potentiam afficit*, e. g. *video* Petrum ambularem in via. Haec igitur iudicia subiectiva sunt iudicia *immediata* conscientiae reflexae, quia nil exprimunt, nisi quod et in quantum conscientia directa refert. Iudicia vero *obiectiva* affirmant obiectum actu expressum non sicut nos hic et nunc afficit, sed *sicut est in se*: e. g. Petrus *re vera* ambulat in via. Haec iudicia *obiectiva* relata ad conscientiam directam sunt *mediata*, quia supponunt quandam comparationem et illationem. Patet haec iudicia obiectiva sive mediata, licet conscientia directa fundamentum praebat, non in solo eius testimonio fundari, sed reflexioni mentis deberi; unde de iis in hac parte thesis non est quaestio.

### Prob. 1. Ex natura iudicij immediati conscientiae reflexae:

Conscientia directa neque falli neque fallere potest, ut supra ostendimus. Atqui iudicium immediatum conscientiae reflexae est illud, quod nil exprimit, nisi quod et in quantum refert conscientia directa sc. existentiam *actus* cognoscendi vel appetendi, et modum,

quo ex principio oritur. *Ergo* iudicia illa immediata conscientiae reflexae non possunt esse falsa.

*2. Ex origine iudicij immediati:*

Iudicium illud non potest esse falsum, quod ab ipso obiecto physice praesenti et evidenter apparente determinatur; nam obiectum non potest alio modo determinare atque ipsum est, et obiectum evidens non potest non videri, i. e. mentem necessitat ad assensum. *Atqui* iudicium immediatum conscientiae reflexae ab obiecto ipso physice praesenti determinatur; nam actus ipse, qui est eius obiectum, hic et nunc physice praesens est et animae immanens; deinde est obiectum evidens; nam animam ipsam intrinsece et immediate afficit ab eaque actu cognoscitur. Unde mens vel potius anima reflectens videt subiectum reale iudicij, i. e. se ipsam immediate, intime et physice coniunctam cum praedicato reali; percipit enim per conscientiam directam, e. g. se ipsam oculis videntem arborem; intellectu cognoscentem theorema mathematicum; voluntate amantem parentes. Ad iudicium igitur immediatum formandum sufficit, ut mens separat analysi subiectum a sua affectione et synthesis iterum componat iudicando: Ego video oculis arborem; ego percipio intellectu theorema Pythagoreum; ego voluntate amo parentes. *Ergo* ratione originis iudicium immediatum conscientiae reflexae non potest esse falsum.

Vel sic: Mens iudicando non potest errare, si identitas subiecti et praedicati ipsi evidenter appetit. *Atqui* in iudiciis immediatis per conscientiam identitas subiecti („Ego“) cum praedicato („Ego“) actu aliquo affectum) evidenter appetit. *Ergo* in iudiciis immediatis conscientia reflexa errare non potest.

*3. Per exclusionem:* Si in iudiciis illis error esse posset, aut proveniret ab obiecto, aut ab intellectu, aut a medio quodam. *Atqui* non potest oriri ex obiecto; nam actus per conscientiam praesens non potest alio modo determinare atque ipse est; unde actus intellectus nunquam potest se manifestare ac proinde percipi tanquam actus appetendi vel sentiendi. Neque error ex intellectu oritur, qui ut facultas necessaria non alio modo percipere potest ac determinatur; neque ex medio quodam cognitionis, siquidem nullum adest; anima actum in se ipsa realiter existentem experitur. *Ergo* non potest esse error in iudiciis immediatis conscientiae reflexae.

*III. Etiam iudicia mediata conscientiae reflexae per se sunt vera, possunt tamen per accidens esse falsa.<sup>1)</sup>*

*St. qu. 1<sup>o</sup>* Nota, iudicia mediata conscientiae reflexae hic non sunt quaecunque iudicia ratiocinio deducta, licet omnia tandem

<sup>1)</sup> Cfr. thesim V, supra p. 115 sq.

aliquando ad iudicia mediata conscientiae reflexae reduci possint; sed sunt illa, quae *primo* et *directe* ex iudiciis immediatis conscientiae derivantur. Unde nituntur syllogismo quodam *virtuali*: Facultas cognoscendi verax est. Atqui cognosco, e. g. Petrum ambularem in via. *Ergo* Petrus vere ambulat in via. In hoc syllogismo et maior et minor sunt propositiones evidentes; maior enim est veritas *tertia fundamentalis*, quae neque probari potest, neque probatione eget; minor vero est iudicium immediatum conscientiae reflexae, neque supponit nisi tres veritates fundamentales sc. existentiam propriam, principium contradictionis et veracitatem facultatis cognoscentis, quae in omni iudicio latent et implicite, sed certo *semper simul cognoscuntur* iam in primo mentis iudicio. Proinde etiam minor evidens est. Hic igitur syllogismus virtualiter latet in iudiciis illis mediatis; non vero in cognitione directa expresse instituitur; maior enim et minor in omni directa cognitione simul implicite cognoscuntur et supponuntur.

*2<sup>o</sup>* Supponitur in iudiciis mediatis formandis tum facultatem cognoscendi bene dispositam et applicatam esse, tum obiectum in conditionibus ordinariis versari, neque medium cognitionis, si adest, a consueto ordine naturae deficere. Hic enim ordo naturae est *per se* vigens et in genere supponendus est, nisi dicas, naturam nos decipere velle. Potest autem esse, ut in singulis casibus exceptio ordinis naturae fiat, sc. ut conditions cognitionis certae non adsint, quia facultas cognoscendi non bene disposita vel applicata est, aut obiectum mediumve cognitionis non modo ordinario sese habent. Quodsi fit, est *per accidens*, ac proinde error potest irrepare non ex natura intellectus, sed quia mens iudicando non satis attendit vel reflectit in motiva, quibus identitas subiecti et praedicati probetur. Iudicat igitur, priusquam ipsi certo constet de nexu inter subiectum et praedicatum, unde error ex eius culpa vel levitate oritur.

Facultatem autem cognoscendi non bene dispositam esse, vel obiectum mediumve modo ordinario non se habere, potest nobis plus minus facile constare vel propria experientia et reflexione, vel aliorum testimonio et exemplo. Nisi vero adsit dubium positivum, utrum debitae illae cognitionis habeantur conditions necne, ordo consuetus supponendus et facultati cognoscenti fidendum est.)

*A. Iudicia mediata seu obiectiva conscientiae reflexae per se sunt vera.*

*Prob. 1. Ex eorum natura:* Iudicia mediata conscientiae reflexae per se vera sunt, si ex aliis per se certis derivantur. *Atqui* derivantur ex aliis per se certis et evidenteribus sc. ex aliquo iudicio immediato conscientiae reflexae, quod semper verum est, et ex vera-

citate facultatis cognoscendi, quam bene dispositam et rite applicatam esse in genere constat vel saltem iure supponimus. Ergo iudicia haec mediata conscientiae reflexae per se vera et certa sunt.

2. *Ex absudis*: Nisi essent per se vera et certa, nunquam possemus esse certi de veritate cognita; (nam transitus ille ex iudicio immediato conscientiae et veracitate facultatis in prima et directa cognitione, qua nititur omnis reflexa cognitio, semper habetur.) Atqui existit certa veritas. Ergo et iudicia illa mediata per se vera sunt.

B. *Potest tamen aliquando in iudiciis mediatis conscientiae inesse falsitas idque per accidens.*

*Prob.* 1. *Ex experientia*: Constat homines nonnunquam non satis attentos vel leviter iudicantes in iudiciis mediatis errare, e. g. amentes, hallucinantes, somniantes, immo etiam vigilantes. Atqui error non potest esse per se, ut ostendimus; ergo debet esse per accidens, i. e. ex defectu aliquo percipientis.

2. *Ex origine iudicii mediati*: Ad iudicia formanda requiritur reflexio in motiva assensus, et in iudiciis his mediatis attentio ad conditiones facultatis percipientis et obiecti percepti. Atqui potest fieri, ut mens deficiat reflexione, vel ut facultas cognoscens (e. g. amentia, Daltonismus), sive obiectum cognitum non se habeat modo ordinario (e. g. baculus in aqua fractus apparet, sol circa terram se movens), quod tamen fit per accidens, i. e. non ex intentione et ordine naturae. Ergo potest fieri error per accidens.

Possunt vero causae speciales enumerari, quae facile occasionem errandi praebent in iudiciis mediatis conscientiae:

1<sup>o</sup> *Imaginatio*, quae exhibere potest affectiones subiectivas, quin adsint, e. g. hallucinantes putantes, se dolore affectos esse; (unde patet, esse errorem in obiecto et in iudicio mediato subsequente, non in actu ipso imaginacionis.)

2<sup>o</sup> *Memoria et associatio idearum*, quae praeterita non recte vel confuse reproducit; (unde iterum error in obiecto habetur; sic qui putat se scire aliquid, quod nescit; se esse bonum, quin sit)

3<sup>o</sup> *Sensatio externa*, quae obiecta refert ex parte obiecti vel subiecti non modo consueto; e. g. obiecta visa in speculo non percepto; unde error rursus in obiecto apparet.<sup>1)</sup>

4<sup>o</sup> *Testimonium humanum falsum.*

*Obi.*: 1. Sunt iudicia falsa conscientiae, e. g. qui solem videntes magnitudine unius pedis esse iudicant; amentes, qui se esse reges dicunt, etc.; dist.: haec sunt iudicia immediata — nego; mediata, subd.: et in his error est per se — nego; per defectum attentionis et reflexionis debitae — conc.

<sup>1)</sup> Cfr. S. Augustinum, De vera religione (edit. Paris. 1836), de remo in aqua fracto n. 62.

2. Atqui actus tentationis in se non liberi nonnunquam liberi apparent, dist.: ex falsa memoria vel reflexione — conc.; ex testimonio conscientiae directae — nego.

3. Atqui illa iudicia subiectiva, immediata sunt saltem inutilia; non enim perducunt ad veritatem obiectivam; dist.: perducunt ad nullam veritatem — nego; nam saltem tres veritates fundamentales semper cognoscuntur, licet indirecute; semper ducunt ad veritatem obiectivam; subdist.: si sufficiens reflexio adhibetur — conc.; alias — nego.

4. Atqui ad nullam veritatem obiectivam perducunt; nam fieret transitus illegitimus ex subiecto ad obiectum; dist.: caeco modo — nego; vi illationis immediatae ex veracitate conscientiae et facultatis cognoscendi — conc.

5. Atqui tunc committeretur petitio principii, cum illa veracitas conscientiae et facultatis cognoscendi saltem in primis iudiciis nondum probata sit; dist.: si deberet et posset probari — conc.; cum evidens sit et iam in primo actu mentis implicite simul cognoscatur — nego.

6. Atqui iudicia mediata possunt esse falsa; ergo et immediata, si quidem fit immediate transitus ab his ad illa; dist.: si transitus fieret vi conscientiae directae solius — conc.: quum fiat per conscientiam reflexam — nego. Iudicia ergo immediata, licet praebant materiam, non sunt causa unica iudiciorum mediatorum; accedit enim reflexio mentis, saltem in actu exercito, et in hac potest ex nostro defectu error inesse.

*Coroll.*: Ex testimonio conscientiae gravissimae plurimaeque veritates deducuntur; en nonnullae:

I. *Existentia nostra*; nam conscientia directa nil est, nisi ipse actus realis hic et nunc praesens et immanens principio suo. Atqui actus non potest esse praesens et immanens animae operanti, quin etiam ipsa percipiatur idque realiter eodem modo, quo ipse actus; nam adest obiectum et sufficiens determinatio. Ergo existentia nostra nobis per conscientiam directam immediate certa est. Neque potest ullo modo probari, siquidem in omni probatione supponitur. Illud: „cogito, ergo sum“, non est syllogismus rectus, nisi quoad formam externam. Nam „cogito“ significat: Ego sum cogitans. Unde metaphysice repugnat, nos non existere, dum operamur, sicut simul esse et non esse sibi contradicunt. Iudicium igitur de nostra existentia est semper immediatum ac proinde verum.

II. *Corpus nostrum eiusque extensio*. Conscientia est ipsa actuum praesentia et manifestatio. Atqui actus non possunt se manifestare, ubi non sunt neque alio modo ab eo quo sunt. Iam vero a) sentiuntur in diversis partibus in nobis; b) illae partes sentiuntur distinctae et inter se et quoad operationes; nam non videmus nisi oculis, non audimus nisi auribus, non ambulamus nisi pedibus; c) ultra certos fines nil amplius sentimus; d) distinguimus inter sensationes ex nobis et a rebus nobis extraneis ortae. Ex his factis internis iudicia immediata infallibilia oriuntur, et mediata inde deducta: „nos habere corpus certis finibus circumscriptum, organis diversis praeditum ad certa opera perficienda, existere obiecta a nobis distincta“, vera esse debent, cum omnis occasio erroris facile excludatur.

III. *Identitas, substantialitas, personalitas nostra*. Conscientia enim refert idem subiectum simul, in diversis tamen partibus corporis sentire; unde

apprehenditur in nobis identitas aliqua ubique per corpus diffusa et simul diversitas aliqua partium in eodem subiecto. Haec perceptio fundamentum praebet certissimum ad *simplicitatem* animae probandam, quae eadem, i. e. *tota simul* est in diversis partibus corporis, corpus vero solum per partes suas est in toto.

Deinde referens idem subiectum diversas *simul* et *successive* actiones habere et permanere, licet actus semper mutentur, etiam fundamentum certissimum praebet iudicio de *identitate nostra substantiali et personali* pro tempore praesenti et elapso. — Unde Hume, Kant, Herbart, Avenarius, Schuppe, Wundt, Paulsen etc., identitatem et substantialitatem subiecti (des „Ich“) negantes refutantur. Neque enim ulla cogitatio potest suam conscientiam subsequenti communicare, ut Kant putat, exemplum globorum adducens motum sibi invicem communicantium (gestossene Billardkugeln). Nam a) actus immannens non potest aveli a suo principio et transferri; immo ne motus quidem materialis hoc modo transfertur, sed alius in corpore moto causatur; b) cum non semper actus adsint sibi sequentes, nulla posset esse conscientia identitatis, quae tamen de facto adest; c) nullus actus potest conscientiam alterius induere, i. e. idem fieri; d) nullus actus potest esse sine agente eoque sibi connaturali, i. e. sine subiecto spirituali vel sensitivo, nisi ipsos actus intelligendi et sentiendi facias totidem substantias; e) nulla tandem memoria sine subiecto permanente esse potest, cum actus non permaneant.

Quare illud „Ego“, quod conscientia directa refert, non est mera abstractio, vel apperceptio, vel cogitatio concomitans, „phaenomenon“ aliquod (Kant, Avenarius, Wundt, Paulsen), vel centrum quoddam ideale (Kreuzungspunkt der Vorstellungen, Herbart), vel collectio omnium actuum vitae (Hume, Schuppe, Ebbinghaus etc.), sed est centrum reale et subiectum reale et substantiale simulque causa affectionum internarum.<sup>1)</sup> Quodsi illud „Ego“ nil esset nisi collectio omnium vitae actuum, deberent tot esse conscientiae, quot sunt actus; ac proinde nulla posset esse identitas conscientiae, neque ulla possibilitas memoriae. Error oritur ex eo, quod animae substantiam non in se, sed solum in actibus attingimus, ac proinde his abstractis nil putant remanere<sup>2)</sup>; deinde quia conscientiam directam, „Ego“ *reale* non solum percipientem, sed *sentientem et experientem* confundunt cum conscientia reflexa, quae illud „Ego“ modo *ideali* repraesentat.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Gutberlet, Logik und Erkenntnislehre, p. 174—178; Der Kampf um die Seele<sup>2</sup>, 1903, I, 121 sq.; Müller, System der Philosophie, p. 11—18; Drbal, Lehrbuch der empirischen Psychologie, p. 186 sq.: Jahrb. der Philos. 1897, p. 347.

<sup>2)</sup> „In dem, was wir Seele nennen, ist alles in kontinuierlichem Flusse und nichts Bleibendes;“ sie ist eine „Subreptio des hypostasierten Bewusstseins“, Kant.

<sup>3)</sup> „Die innere und sinnliche Anschauung unseres Gemütes ist nicht das eigentliche Selbst, so wie es an sich existiert, sondern nur eine Erscheinung, die der Simlichkeit dieses uns unbekannten Wesens gegeben wird. Das Dasein dieser innern Erscheinung als eines so an sich existierenden Dinges kann nicht eingeräumt werden, weil ihre Bedingung die Zeit ist, welche keine Bestimmung irgend eines Dinges an sich selbst sein kann.“

IV. Conscientia refert quosdam actus, qui organis: oculis, auribus etc. perficiuntur, quosdam vero, qui licet organo *externo* non indigeant, tamen modo *extenso* repraesentant, ut phantasia; alios tandem, qui neque organis coniuncti sunt, neque ullo modo extenso repraesentant. Unde praebet fundamentum certissimum, quo innxi distinguimus inter actus intellectus et sensuum, ac proinde animae *spiritualitatem* probamus.

V. Conscientia porro referens actum sensationis, e. g. videndi, principium huius operationis non duplex, sed realiter unum exhibit, quod factum internum ostendit corporis et animae *unionem substantialem*.

VI. Conscientia referens actus tum in diversis corporis partibus, tum diverso tempore in nobis existentes, materiam suppeditat et occasionem ad conceptum *spatii et temporis* formandum.

VII. Conscientia refert actus non in abstracto, sed in concreto sicut animam afficiunt, mox accedentes, mox recedentes, ipsique animae inhaerentes. Unde facile conceptus *substantiae et accidentis* gignitur.

VIII. Conscientia refert, nos ipsos agere, nonnunquam libere, nonnunquam ab extra determinatos; testatur, nos uti membris et organis ad libitum, eorumque actus dependere tum a nostra voluntate, tum ab eorum dispositione, tum a praesentia rerum a nobis distinctarum. Hoc modo notiones *causae et effectus, medii et finis, occasionis et conditionis* immediate a nobis efformantur.

IX. Conscientia testatur, nos quandoque nosmet ipsos determinare ad operandum, quandoque nos ab extra determinari, vel ab intra necessitari; nobis tribuendum esse meritum vel demeritum actionum; itaque *libertas nostrae voluntatis* necnon *ratio boni et mali moralis* facile et immediate percipitur.

X. Tandem constat teste conscientia, nos facile distinguere inter statum *vigiliae et somni*, quia in statu vigiliae adest imperium, ordo, reflexio in phantasmata; tempore somni vero non.

Unde patet, maximi momenti esse testimonium conscientiae directae, quippe quod fundamentum totius vitae sensitivae sit et *intellectualis*, quo destructo nil iam restat certitudinis, quo firmo et certo omnes scepticismi et idealismi impetus facile retunduntur.)

## § 2. Experientia externa sive sensatio.

1. *Notio et species sensationis*: Conscientia testatur, nos in diversis partibus corporis, quae organa vocantur, experiri quasdam

„Ich, eine für sich selbst an Inhalt *gänzlich leere* Vorstellung, von der man nicht einmal sagen kann, dass sie ein Begriff sei, sondern ein blosses Bewusstsein, das alle Begriffe begleitet. Durch dieses Ich oder Er oder Es (das Ding), welches denkt, wird nun nichts weiter als ein transzentiales Subjekt der Gedanken vorgestellt = X.“ Kritik der reinen Vernunft, 1791, Elementarlehre II. T. II. Abt. II. Buch I. Hptst. p. 408 sq. E. v. Hartmann: Das Bewusstsein ist „die Stupefaktion des Willens über die von ihm nicht gewollte und doch empfindlich vorhandene Existenz der Vorstellung“; cfr. Drews, Das philos. System E. v. Hartmanns, p. 253 sq.